

der Meister, dass der Prior Abgaben an den Ordensschatz nicht bezahlt hat, die zum Kampf gegen die Ungläubigen notwendig sind. Er solle deshalb jährlich 100 venezianische Dukaten nach Venedig schicken, zu Händen des Fr. Andrea dei Martini, des Rezeptors für das Priorat Venedig. Den Bevollmächtigten des Priors wurde erlaubt, schon vor dem Generalkapitel mit den venezianischen Triremen aus Beirut zurückzukehren, da sie sonst den ganzen Winter in Rhodos hätten bleiben müssen.

Rhodos, 1492 November 10

Ausf. Pap. Praha, NA MR Nr. 1236. Siehe oben Nr. 30 sowie Abb. 11 und 12.

Venerande religiose in Christo nobis precharissime, cordiali salutatione premissa. Venerunt ad nos vestri procuratores, qui detulerunt litteras, ex quibus eis facultas datur comparendi in generali capitulo, quod celebrari debet, qui etiam nobis explicarunt bonam et integram voluntatem vestre fraternitatis erga religionem, et quod proponitis satisfacere iura thesauri. Tamen supplicarunt quasdam provisiones fieri, ut quedam iura vestra a preceptoribus recipere possitis, etiam quod de beneficiis sancti Sepulcri fieret aliqua expectativa ad ea conquirenda cum aliqua potestate uniendi quandam preposituram cuidam vestre preceptorie et ulterius auctoritatem recipiendi confratres, super quibus habita est discussio et deliberacio, et demum ea graciose concessa sunt, prout per provisos apparet, ita tamen, quod huiusmodi provisiones non intelliguntur esse in preiudicium iurium thesauri nostri^a Rhodi, prout in huiusmodi provisionibus continetur, nam illud est potissimum fundamentum religionis nostre, cum sine ipsis iuribus non potest subveniri oneribus incumbentibus et contingentibus et aliter efficere esset rerum iniquum exemplar et consequencia, quia nullus ab his est absolutus et immunis, propter quod huiusmodi iura expresse sunt reservata. Dabitis operam et diligenciam, ut non sit aliter exequucioni demandatum, nisi quod iura thesauri sint illesa et exoluta secundum provisionum tenorem amplius, sicut significavimus eisdem vestris procuratoribus. Admiracio non parva sequitur et suborta est, quod secundum continenciam bullarum vobis factarum de prioratu nostro Boemie vos non exolvistis anno quolibet ius thesauri expressum in dictis bullis, videlicet centum ducatorum auri Uenetorum solvendorum in

a) nostri thesauri *umgestellt nach Korrektur*